



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Hora II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

Accusatio sui & propositum emendanda vite, ubi quis in culpam, quam sciverat sibi maxime cavendam, relapsus est.

OMni amantissime Deus, ego ingratus, ego perditus homo ad te redeo, postquam factis à te per illicita sum evagatus: nunc te amicum quero, quem ipse mihi hostem feci. Iterum deliqui, & post mille jam casus iterum cecidi. Ah! Domine pessimas illas cogitationes iterum in animum admisi; illa pessima verba iterum dixi. Ah! in culpam illam, quam sciebam tibi plurimum displicere, mihi maxime nocere, in hanc ipsam iterum relapsus sum; quantum mihi hæc cavenda esset, præsciebam; & tamen non cavebam. Ita Majestatem tuam, ô Deus, offendi, gratiam tuam perdidisti, cælum amisisti, meipsum damnavi, ob vilissimam delectationuculam. Scio, Domine, tu mihi super omnia es amandus: agnosco, mi Deus, quod lex tua & tuus honor, cariora mihi esse debeant rebus creatis omnibus, & tamen tam perditè meipsum amo, ut meum honorem, lucellum meum, meamque libidinem, tibi, tuæ legi, tuoque honori prætererim jam sæpissimè. Ah, quam adhuc carnalis sum! & licet ego negem, opera mea loquuntur. Mundus non tantum mihi nondum crucifixus est, sed totus in me vivit & spirat. Plenus sum pravis moribus, sædis concupiscentiis & desideriis; & tamen probus ac bonus haberi cupio. Vita mea merus est Euripus, metissima inconstantia, & mutabilitas, sensus mei exteriores quod volunt liberrimè expantantur: quam variè & quam sædæ imagines animo meo insident? quam ego, ô mi Deus, dura & immobilis cautes sum, cum de pœnitentiâ agitur! ad loquendum tam promptus sum, quam incautus: furdus ad monita; ad fabulas & stultiloquium attentissimus; quæ de cælo, de Deo dicuntur, nimis peregrina mihi sunt & fastidiosa; ad lucri rationes satis vigilo, cum orandum est, totus nauægo; cum epulandum, totus anhelus & prope. Ad cultum divinum testudo sum, ad lusum & petulantias pernix aquila, ad honesta repo, ad verita volo. Ad invidiam & suspiciones pronissimus sum; vix tangor & irascor, & serio, certè lingua, cum manu non possum. Nemo me lædit, in quem non ultionem mediter & vindictam. Libidinis ignes, ô Deus tu nosti, quam mihi sint vicini: hæc ego quidem dissimulo & te, tibi tamen, ô mundi oculi, aperta sunt omnia: nullum cordis secretum est, quod tibi celeri possit. O quoties, & quanta facturum me propono & spondeo! mox omnia in ridiculam, imò in flagitiosam oblivionem evanescent.

Jure igitur doleo, me dolenda toties committere: imò vel hoc ipsum doleo, me non magis dolere, nec fati, ut par est, propriam sentire miseriam. Et quamvis hæcenus ad omnem pietatem lentissimus fuerim, & heu nimis alacer & festinus ad vitia, tamen talis deinceps non ero: Dixi: Nunc capi. Iter ad cælum nemo bene perficit, nisi qui quotidie incipit.

Igitur firmissimè statuo, ope tuâ, Domine, confusus, priores culpas illas, & omnem peccandi occasionem quam diligentissimè cavere. Jam ero alius, ita me cælitates juvent. O Dominus meus, & Deus meus, cor mundum & castum in me crea: innova, oro, in me spiritum rectum, ut tandem aliquando vitam serio emendem, ex animo te amem, & ad finem vitæ sic perseverem.

Pro Veniâ Peccatorum.

Miserere mei Deus, miserere mei miserimi peccatoris; indigna agentis, & digna patientis, affidue peccantis, raro dolentis, & tua flagella impatienter ferentis. *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum: gravius est quod commisi, levius quod tolero: non iniuste nec crudeliter nos affligis, ô misericors Deus. Scio Domine & certus sum vitam nostram non temerariis motibus raptari, sed à Deo nostro disponi & gubernari.*

Tom. I.

A tibi cura est de omnibus, præcipue de servis, qui omne desiderium suum in sanctissimo beneplacito tuo collocarunt. Ideo ego ad aram misericordiae tuæ confugio, & oro supplex, non me punias secundum peccata mea, sed parcas secundum magnam misericordiam tuam. Flagellari, mi Deus, non recuso: tu modò da patientiam. Sub ipsis, Domine, flagellis & bonitatem tuam laudem, & vitam meam emendem. Miserere mei Domine, miserere mei, & adjuva me, sicut tu nosti: scis omnia, Domine, potes omnia, qui vivis in sæculorum sæcula.

Pro omnibus Dei beneficiis.

Benedicant te, Dñe, omnes Angeli tui, Archangeli, & Principatus laudent & glorificent te in sæcula. Benedicant te Potestates, Virtutes, & Dominiones, laudent & glorificent te in sæcula.

Benedicant te Throni, Cherubim, atque Seraphim, laudent & glorificent te in sæcula.

Benedicite Patriarchæ & Prophetæ Dominum, laudate & glorificate eum in sæcula.

Benedicite Apostoli & Evangelistæ Dominum, laudate & glorificate eum in sæcula.

Benedicite Martyres & Confessores Dominum, laudate & glorificate eum in sæcula.

Benedicite Virgines & Sancti omnes Dominum, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Fideles tuos, Deus, benedictio desiderata confirmet, quæ eos & à tuâ voluntate nunquam faciat discrepare, & tuis semper indulgeat beneficiis gratulari. Per Christum Dominum nostrum.

H O R A I I.

Disce MORI: id te doceat Mortis incertissima hora.

MEMENTO homo umbra, nullum esse in orbem. Non est tificem, qui tale concinnet horologium, quod tibi supremum vitæ diem aut horam indicet. *Futura nullo scire potes nuntio.* Mors ubique tibi minatur, diabolus semper insidiatur, & tu tamen torpes & nugaris. *Quid annos proponis & nescio quam vitæ seriem? nulla tibi horula à morte secuta fluit.* Incertum prorsus est, quo te mors loco expectet: itaque tu illam expecta omni loco. *Quam stultum est artem disponere! ne crastino quidem dominamur. Suavis sed periculosa est dementia, longam vitam sperare, & de bonâ vitâ vix unquam cogitare. Magna res est, & diu dicenda, cum adventat hora illa tam inevitabilis quam incerta, æquo animo abire. Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hæc mo, & sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur hæc mines in tempore malo, cum eis extemplo supervenit Mors.* Memento mori.

Disce VIVERE: id te doceat lex Obedientiæ.

Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. *Qui autem ad Rom. resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Grate olim erant victimæ Deo, sed multò gratior semper Obedientiâ. Qui suas à Deo preces audit vult, votem ipse imperantis audiat, & obedite discat. *Citius exauditur una obedientis oratio, quam decem millia contemptorum, ut oratio Non attendit verus obediens, quam suave sit quod præcipitur, hoc solo contentus, quia præcipitur, nisi quid contra Deum præcipiatur. Virtutibus ceteris demones oppugnamus; obedienciâ vincimus. Parere cum diceris, imperare scies, certè in cælo.*

Disce ORARE: id te doceant tres istæ Preces, tam brevissima, quam optima.

1. Benedictus Deus in æternum.
2. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam

Bb 2

LEXELI
NIS
VII
10

